



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Calandione Antiocheno pontifice, qui propter amicitiae cum Ilo Leone &
Pamprepe suspicionem, in exiliū actus est, & quòd cum Petro
Cnalymorum episcopi, amicitiae fædus inerunt. Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

derat. Propter igitur vos ad eam recipite. Nam si hoc pre-
stiteritis, non modò domini seruatoris, & Dei nostri Iesu
Christi beneuolentiam uobis conciliabitis, verùm etiam à
nostra celsitudine magnam laudem consequemini. Ista epi-
stola perlecta, omnes Alexandrini se sanctæ, catholicæ, & A-
postolicæ ecclesiæ adiunxerunt.

*Quòd Ioannes Alexandrinus episcopus Romam
profectus, effecit ut Pontifex Romanus Simpli-
cius ad Zenonem de irrogatis ipsi iniuriis lite-
ras daret.* Caput XV.

Ioannes, de quo supra mentio facta est, fugiens Alexan-
dria ad antiquam Romam contendit: ibiq; magnas con-
citauit turbas. Dixit namque se pro decretis Leonis &
Chalcedonensis concilij sua sede episcopali exturbatum
fuisse, alterumq; , qui illis aduersabatur, in ipsius locum
surrogatù. Qua re cum Simplicius antiquæ Romæ episco-
pus vehementer conturbaretur, & literas propterea ad im-
peratorem Zenonem daret, rescribit Zeno, crimenque per-
iurij obiecit Ioanni, eumque eius rei, non autem alterius
gratia episcopatu abdicatum esse.

*De Calandione Antiocheno pontifice, qui propter
amicitiæ cum Ilo Leone & Pamprepe suspicio-
nem, in exiliũ actus est, & quòd cum Petro Cna-
ptheo Mongus, & Constantinopolis & Hieroso-
lymorum episcopi, amicitiæ factus inerunt.*

CAPVT XVI.

Calandio antistes Antiochiæ scribens ad imperato-
rem Zenonem, & Acacium Constantinopolitanum
episcopum, Petrum non solum adulterum vocat, ve-
rùm etiam eum cum esset Alexandria, Chalcedonensi con-
cilio anathema indixisse asserit: qui postea ad incolendam
Oasin còdénatus fuit, ex partes Ili, & Leótij & Pamprepis,
contra Zenonem fouebat. Petrus verò cognomento Cna-
pheus, qui ante Calandionem & Stephanum episcopus fuit, ut
supra

EVAGR. HISTORIAE

supra dixi, Antiochiæ, propriam sedem recuperavit: qui & epistolę subscripsit Zenonis de concordia, & synodales literas ad Petrum Mōgum Alexandrinū episcopum scripsit. Isti Petro Acacius etiam episcopus Constantinopolitanus reconciliatus fuit. Martyrius item episcopus Hierosolymę ad eundem literas synodales scripsit. Postea tamen nonnulli se à Petri communione separarunt. vnde factum est, vt Petrus, concilio Chalcedonensi palam denuntiaret anathema. Quę res ad aures Acacij episcopi Constantinopolitani perlata, magnopere eum conturbavit: & propterea quosdam misit, qui quid esset factum, sedulo cognoscerent: quibus Petrus, quoniam cupiebat illis penitus persuadere, se nullum eiusmodi facinus admisisse, scripsit literas quibus se purgaret: in quibus tamen Petrum nihil tale scripsisse quidam se certò scire affirmant.

De ijs quę ad Acacium Chalcedonensis Concilij propugnatorem Petrus scripsit.
Caput VII.

ISTE Petrus, homo fraudulentus, versutus, & temporibus seruiens, minimè in vna perstitit sententia, sed modo concilium Chalcedonense anathemate damnauit, modo palinodiam cecinit, idemque ipsum concilium omnibus suffragijs approbavit. Itaq; epistolam scripsit ad Acacium episcopum Constantinopolinum his ferè verbis. Summus omnium Deus tuam sanctitatem pro tãtis tuis laboribus & vigilijs susceptis, compeset: qui tot annorum temporis curriculos, non modò fidem sanctorum patrum obseruasti ipse, sed etiam eandem sine intermissione palam prædicando confirmasti. Ad quam roborandam symbolum à trecentis decem & octo sanctis patribus aptè compositum animaduertimus: secundum quod symbolum baptizati, credidimus, & credimus: quod etiam quinquaginta sancti patres, qui Constantinopoli in vnū conuenerant ratum fecerunt. Proinde tu assidue omnibus præis, vt dux: sanctam Dei ecclesiam traducis ad concordiam: nobis denique firmissimis argumentis persuades, nihil in sanctissimo & generali con-

Vid. chi.